


LVNÆ DIE 13 M. APRILIS A. 2015

Idibus Aprilibus a. MMXV

185

M E L I S S A



**FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA**

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org  
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128



## QVID MINIMUM SIT DISCIPVLOS DOCENDVM

– scripsit Gaius Licoppe –

Parisiis cum mense Ianuario plerique redactores et gryllographi periodici satyrici *Charlie Hebdo* inscripti turpiter interfecti essent, tromocratae, scelere peracto, aufugerunt clamantes «Allahou akbar» («Allah maximus est»); isti gryllos ulcisci volebant, quibus prophetæ Mahumeto aspectus præbitus erat tromocratae. His enim gryllis totus orbis mahumetanus offensus erat.

In orbe Occidentali nostris temporibus floret hominum libertas non solum agendi sed etiam cogitandi et cogitata verbis, delineationibus necnon gryllis exprimendi; nulla ergo, nostro sensu, erat causa gryllographos trucidandi propter hos Mahumeti gryllos. Non raro enim apud Occidentales etiam divulgantur grylli, quibus Christiani offenduntur, ut, exempli gratia, cum ageretur de matrimonio homosexualium, grylli in eodem periodico divulgati, quibus tres Trinitatis personæ monstrabantur una alteram pædicans; neque ira, neque minæ tunc manifestatae sunt.

Concives nostri libertatem tanti faciunt pretii, ut statim post cædem ingentes populi protestationes simul habitæ sint in toto orbe Occidentali; maxima facta est Parisiis, ubi sesquimilio hominum per vias transiit, ducente Reipublicæ Præsidi, quem comitabantur regentes civitatum Europæarum aliarumque regionum; in pompis tollebantur verba «Je suis Charlie» (Ego sum Charlie), quæ etiam ubique legi poterant.

In orbe mahumetano, contra, regentes hanc cædem certe condemnauerunt, sed nulla protestatio popularis facta est nec apparuerunt verba «Ego sum Charlie», cum populus esset Mahumeti gryllis offensus.

Periodicum tamen *Charlie Hebdo* non periit ac superstites gryllographi conficere valuerunt sequentem fasciculum, cuius editio e compluribus milionibus exemplarium constitit, per orbem Occidentalem late diffusis; cum in tegumento delinearetur Mahumeti caput turbinatum, ingentes hostilesque populi protestationes ortæ sunt in omnibus fere regionibus mahumetanis; dicunt enim Mahumetum irridere aut saltem fingere esse sacrilegium.

In diario *Le Soir* legi, quid nonnulli discipuli mahumetani alicuius scholæ Bruxellensis de his eventis sentirent, stupentibus magistris. Alii de trucidatis redactoribus et gryllographis dixerunt: «Hoc ipsi aliquatenus quæsierunt»; alii: «Voluerunt furiosos amentes concitare loquentes de religione islamica, quamquam sciebant hoc esse argumentum, quod Mahumetanorum sensibilitatem offendit.» Alii noluerunt cum magistro «esse Charlie»; dixerunt hoc periodicum non favere cogitatis libere exprimentis, sed potius ad odium provocare, quo impediatur bonus

modus una vivendi. Alii tabulam exhibebant, in qua scriptum erat «La bêtise n'a pas de religion» (Stultitia non habet religionem). Alii, ut in diariis postea lectum est, aperte stabant pro tromocratis.

At me magis obstupuerunt magistrorum responsa, sive potius inscitia respondendi. Sic mihi in mentem venit ea patefacere, quæ magistris, meo sensu, fuerunt et erunt docenda. Hoc eo magis utile videtur, quod post terribilia eventa auctoritates putant ingrata discipulorum responsa tribuenda esse institutioni scholari, quæ «civilitatem» parum doceat. Huic tamen sententiæ obiiciendum est hanc «civilitatem» constare ex hodiernis Occidentalium moribus. Sunt magistri, qui potius dicant notionibus historicis egere discipulos, et idem censeo. Has ergo notiones historicas indicabo, quæ mihi videntur esse minimum necessarium ut discipuli, traditionis sive christianæ sive mahumetanæ æque ignari, de historia et fundamentis propriæ religionis tandem aliquid sciant et scienter disputare possint.

Cum religio christiana in Belgica sit religio tradita, oportet imprimis de ea aliquid scire.

Iesus est Iudæus pacificus, sed nulla biographia vere historica conscribi potest, deficientibus documentis. Nonnullos discipulos habet, omnes Iudæos humili loco natos. Eius prædicatio misericordiæ et hominum amoris plena spectat ad Iudæos, quorum servat regulas traditæ religionis. Paulus contra, qui Iesum non novit, imprimis infestus Iesu discipulis, deinde se subito convertit et, apostolus Paulus factus, Iesu Christi prædicationem diffundit apud cives non Iudæos Imperii Romani, quibus non imponit regulas traditas religionis iudaicæ; sic nascitur christianismus.

Christianismus lente, diversimode, pacifice diffunditur per totum Imperium Romanum. Cum auctoritates Romanæ comperiunt Christianos non esse Iudæos, quibus solis privilegium suum deum solum colendi datum erat, eosque suum deum solum quoque colere velle, timent ne Imperii potentiæ noceant, quare eos persequuntur et compluries cruciant et trucidant.

Magna mutatio anno 312 incohatur cum imperator Constantinus Christianis favere incipit eisque totam libertatem dat suum deum solum suo modo colendi. Pauci tunc sunt Christiani in Imperio Romano, quinque centesimæ partes (5%) generaliter et usque ad decem centesimas partes (10%) nonnullis locis, ut Romæ. Tunc viget tota libertas eligendi inter cultus traditos et fidem christianam; ab eo tamen tempore christianismus coniungitur cum regimine, quæ coniunctio decursu quarti sæculi ita augetur ut, imperante Theodosio, omnibus civibus nihil liceat profiteri

nisi fidem christianam; aliarum religionum templa delentur.

Fundamentum religionis christianæ est Deus e tribus personis constans, Patre, eius Filio, Iesu facto, et Spiritu Sancto, quamquam non omnes de hac Trinitate consentiunt. Complures sectæ apparent, quarum præcipuæ tantum citantur. Ariani non agnoscunt Iesum esse Dei filium, sed tantum hominem, cui data sit aliqua divina potestas. Monophysitæ contra autumant Iesum tantum esse Deum, cum aspectu humano. Persecutiones vehementes oriuntur contra eos, hæreticos vocatos, qui doctrinam a regimine impositam agnoscere nolunt.

Sub finem quarti sæculi Imperium Romanum in perpetuum dividitur in duas partes, Occidentalem et Orientalem. In Occidente caput christianismi est Papa, qui Romæ sedet, in Oriente caput est Patriarcha Constantinopolitanus. Sexto sæculo, cum deletur Imperium Romanum Occidentale, non solum Papæ auctoritas in rebus politicis augetur, sed etiam religio christiana, quæ se «catholicam» ibi vocat, paulatim a christianismo Orientali, qui se «orthodoxum» vocat, separatur in ritibus et quoque paululum in doctrina; hoc sufficit, ut decursu sæculorum alter alteri fiat hostis.

Septimo sæculo Mahumetus religionem islamicam creat, de qua fusius postea.

Christiani et Mahumetani inter se bellum gerunt ab initio. Quinto decimo sæculo Turci mahumetani Constantinopolin capiunt ac finem faciunt Imperii Romani Orientalis. Christianismus orthodoxus iam non habet sedem politicam.

Sexto decimo sæculo multi in Occidente Papæ auctoritatem infitiantur, qui vocantur «protestantes»; cum causæ huius infitiationis non solum sint religiosæ sed etiam politicæ, bella vehementia oriuntur inter «papistas» et «protestantes»; in Magna Britannia rex secessionem facit seque ipsum instituit caput religionis «anglicanæ», quæ omnibus civibus imponitur; Germania septentrionalis et omnes Europæ regiones septentrionales fiunt protestantes. In Francogallia protestantes, numero pauciores quam papistæ, a regimine ferociter vexantur et exterminantur.

Usque ad finem Veteris Regiminis Ecclesia catholica in Francogallia cum regimine arte consociatur ac mores civium regit. Sacrilegium ferociter punitur. Anno 1766 ultimum habetur supremum supplicium alicuius hominis, qui sacrilegii insimulatur. Agitur de equite de la Barre, viginti annos nato, qui, condemnatus (re vera falso), imprimis cruciatus est: ossa pedum et genuum forcipe ferreo fracta sunt, ut conscios indi-

caret; deinde camisia indutus, collo fune cincto, carro vectus est ad locum supplicii; in tergo scriptum erat «impius, blasphemator et sacrilegus execrabilis». Carnifex eum securi obtruncavit; postea eius corpus in rogum proiectum est una cum eius exemplari *Dictionarii philosophici*, vetiti Voltarii operis. Cum hoc nunc legimus, horrenda nobis videtur tanta barbaria et crudelitas.

Duodevicesimum sæculum vocatur «Sæculum Luminum», quia cogitatio rationalis philosophorum, inter quos numeratur Voltarius, cum religionem catholicam tum absolutam regum potestatem reprehendit. Exeunte eo sæculo homines his cogitationibus imbuti magnam rerum eversionem in Francogallia faciunt, qua tollitur potestas Ecclesiæ catholicæ et regis. Ineunte undevicesimo sæculo Napoleo Bonaparte, toto regimine potitus, concordiam cum Ecclesia restituit et, Imperator sacratus, suam stirpem regalem Francogalliæ imponere in animo habet, frustra tamen, cum victus a consociatis civitatibus Europæis longe deportetur a Francogallia.

Tunc in quindecim annos Vetus Regimen restituitur ac nova lex de sacrilegio anno 1825 pangitur, quæ paucis annis post, Vetere Regimine sublato, in perpetuum abrogatur. Post annum 1870 Francogallia fit et manebit Respublica. Initio Ecclesia catholica magnum pondus in rebus politicis et moralibus servat, sed ineunte vicesimo sæculo (anno 1905) Parlamentum decernit totam separationem Ecclesiæ et regiminis, quæ adhuc viget et magnam morum mutationem vicesimo sæculo induxit, de qua postea tractabimus.

Hoc est breviarium historicum Ecclesiæ catholicæ, quod memoria tenere oportet, at non est institutio religionis. ☞

(Continuabitur)

# RECENS DIPLOMA HONORIS CAUSA LOVANIENSE

– quod proponit Theodericus Sacré –

HENRICVS TORFS, VTRIVSQVE IVRIS LICENTIATVS, IVRIS CANONICI DOCTOR, STVDIORVM VNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS IN VRBE LOVANIENSI RECTOR, OMNIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS SALVTEM.

CVM EXIMIVS VIR **PHILIPPVS CLAVDEL**, ELEGANTIORVM LITTERARVM AVCTOR, SCAENICVS APTATOR ET SCRIPTOR, SPECTACVLORVM CINEMATOGGRAPHICORVM MODERATOR, DOCTOR LITTERARVM FRANCOGALLICARVM IN STVDIORVM VNIVERSITATE NANCEIENSI LOTHARINGICA RENVNTIATVS, LITTERARVM EARVNDEM NECNON ARTIS CINEMATOGGRAPHICE NARRANDI PVBLICVS IBIDEM DOCTOR, PRAEMIIS ATQVE HONORIBVS AVCTVS MINIME EXIGVIS, QVIPPE QVI, VT ALIA PRAETERMITTAMVS, INCLITAM IN ACADEMIAM GONCOVRTEAM SIT ADLECTVS PRAEMIOQVE RENAVDOTEO DONATVS, CREANDIS OPERIBVS SIVE LITTERARIIS SIVE CINEMATOGGRAPHICIS INTER AEQVALES LONGE PRAESTET MAGNAQVE VARIETATE OPERVM ATQVE ACRI INTELLENTIA ET PERSPICACITATE ADEO EXCELLAT, VT SVIS IN ARTIBVS PALMAM INGENII HAVD DVBBIE POSSIDEAT;

CVM IS SIT, QVI IN EFFINGENDIS ARTIS OPERIBVS SAECVLVM VICESIMVM EVROPAEVM SINGVLARITER TRACTET ATQVE IN HAVD PAVCA VVLNERA IN EO SAECVLO HOMINIBVS INFLICTA HOMINVMQVE IN MENTES ADMIRABILITER IRREPAT, SENSU PRAEDITVS ADMODVM SVBTILI;

CVM ARTEM SCRIBENDI ITA CALLEAT, VT QVAE INTVS PERCIPIANT HOMINES QVAEQVE SENTIANT, EA OMNIA, QVAMVIS TENVIA SINT AC MVLTIPLICIA, IN VNVM TAMEN CONIVNGERE VALEAT MIRVM IN MODVM;

CVM IN FINGENDO ARTIFEX SIT SVMMVS ITAQVE NARRANDIS REBVS QVAE PRIMA SPECIE INTVENTIBVS MINORES AC FERE CASVALES VIDEANTVR ESSE, AD INTIMOS, VT SIC DICAMVS, VITAE RECESSVS PERVENIAT, ARGVMENTA CVM PRIMIS HVMANA VERSET, CONDICIONIS HVMANAE LEGES VNIVERSAS ILLVSTRET ATQVE HOMINVM PECTORA, VT SVNT, APERIAT OSTENDATQVE;

NOS PRO POTESTATE NOBIS FACTA ET CONCILIO ACADEMICO ADSENTIENTE EVNDEM EXIMIVM VIRVM **PHILIPPVM CLAVDEL** DOCTOREM HONORIS CAUSA CREAVIMVS ET RENVNTIAVIMVS.

CVIVS REI VT FIRMA SIT AC TESTATA FIDES, DIPLOMA HOC PVBLICVM A NOBIS SVBSCRIPTVM ET VNIVERSITATIS SIGILLO CONFIRMATVM DANDVM CVRAVIMVS.

LOVANII, ANNO A PARTV VIRGINIS MMXV ANTE DIEM TERTIVM NONAS FEBRVARIAS.

HENRICVS TORFS  
RECTOR

# ATLANTIS

## I - A PLATONE AD BACONVM

– scripsit Francisca Deraedt –

« Ibi, sub oculis meis, diruta, pessumdata, eversa, apparebat urbs destructa, eius tecta collapsa, templa deiecta, arcus extorti, columnæ humi iacentes, in quibus adhuc conspiciebatur symmetria robusta architecturæ generis Tuscanici; ultra, paucæ reliquiæ prægrandis aquæductus; hic fundata sublimitas alicuius acropolis, ac Parthenonis incertæ formæ; illic vestigia crepidinis, tamquam si qui antiquus portus naves onerarias bellicasque triremes olim protexisset ad oram alicuius oceani perditum; etiam ulterius, longi ordines mœnium prorutorum, latæ viæ desertæ, tota quædam urbs Pompeii aquis submersa, quam capitaneus Nemo sub oculis meis resuscitabat!

«Ubi eram? Ubi eram? Hoc omni modo scire volebam, volebam loqui, avellere volebam aeneum globum cui caput meum erat inclusum.

«At capitaneus Nemo ad me accessit manuque impedivit. Tum, capto fragmento cretei lapidis, processit ad aliquod saxum basalticum et hoc unicum vocabulum inscripsit:

### ATLANTIS

«Quale fulgur animum meum transvolavit! Atlantis, prisca Theopompi Meropis, Atlantis Platonis, illa terra negata ab Origene, Porphyrio, Iamblichio, D'Anville, Malte-Brun, Humboldt, qui eius eversio- nem habebant pro ficta fabula, probata vero a Posidonio, Plinio, Ammiano Marcellino, Tertulliano, Engel, Sherer, Tournefort, Buffon, d'Avezac, eam hic ante oculos habebam, irrefutabilia ruinæ suæ testimonia adhuc ferentem! Hæc ergo erat illa regio submersa, quæ extra Europam exstabat, extra Asiam, Libyam, ultra Herculis columnas, sedes populi præstantis quocum acta sunt prima bella Græciæ antiquæ!»<sup>1</sup>

Narratio, quam Iulius Verne protulit in clara fabula *Vingt mille lieues sous les mers* (Viginti milia leucarum sub aquis) inscripta, lectorem ita tenet suspensum et commotum, ut sibi videatur ipse sub aquis ambulare eaque mirabilia detegere. Ac re vera, ex omnibus terris ficticiis, Atlantis ea est quæ philosophorum, scriptorum et indagatorum animos maxime detinuit. Mythus decursu temporum eo magis est inflatus, quod nullo modo veri dissimile videbatur, continentem aliquando exstitisse, postea aquis esse submersam.

Quantum scimus, primus de hac re scripsit Plato, in dialogis quibus titulus est *Timæus* et *Critias*. Cum *Critias* eo ipso loco interrumpatur, quo aliquid completuri eramus de illo mundo dilapso, potius vertamus nos ad *Timæum*. Nobis autem in *Melissæ* paginis Latina expectantibus, non Græca – quem tamen sermonem tantopere reveremur, quātopere alterum –, feliciter fit

ut *Timæus* in Latinum translatus sit et a Cicerone, et a Chalcidio neoplatonico philosopho quarti sæculi, et a claro humanista Marsilio Ficino (1433-1499), qui multa opera sic e Græco vertit in Latinum. Sumamus Ficinum, cuius translatio ceteris est plenior. Plato ergo narrat ultra Columnas Herculis – id est, nisi fallor, ultra Calpen et Abylam, ergo in medio oceano Atlantico – fuisse vastissimam insulam nomine Atlantidem:

«Ἄκουε δὴ, ὦ Σώκρατες... Audi Socrates miram quidem, sed plenam veritatis historiam, quam Solo septem sapientum sapientissimus recensebat.»

Solonem, in Ægypto versantem, a doctis sacerdotibus multa didicisse de Græcorum antiquis facinoribus, ab ipsorum memoria elapsis:

«Tunc e sacerdotibus quendam grandem natu dixisse: O Solo Solo, Græci pueri semper estis nec quisquam e Græcia senex. Cur istud diceret percontante Solone, respondisse sacerdotem: Quia iuvenis semper vobis est animus, in quo nulla est ex vetustatis commemoratio prisca opinio, nulla cana scientia. Quod ideo vobis contingit quia multa et varia hominum exitia fuerunt, eruntque. (...) Nam et ea ipsa quæ modo e vestris historiis recensebas, a fabulis puerilibus o Solo parum distant. Primo quod unius tantum inundationis memineritis, cum multæ præcesserint. Deinde quod genus maiorum vestrorum in regione vestra clarissimum et optimum ignoretis, ex quo tu et Athenienses ceteri nati estis, exiguo semine quondam publicæ cladi superstite. Quod propterea vos latuit, quia superstites ille eorumque posterum litterarum usu multis sæculis caruerunt. Fuit enim ante exitialem illam terræ illuvionem o Solo Atheniensium civitas tam belli quam pacis officii præstantissima, eiusque opera legesque omnibus quorum memoria ad nos pervenit excelluerunt. (...) Multa quidem et mirabilia vestræ civitatis opera in monumentis nostris leguntur, sed unum magnitudine et virtute præcipuum facinus. Traditur enim vestra civitas restitisse olim innumeris hostium copiis, quæ ex Atlantico mari profectæ prope iam cunctam Europam Asiamque obsederant. Tunc enim erat fretum illud navigabile, habens in ore et quasi vestibulo eius insulam, quas Herculis Columnas cognominatis; ferturque insula illa Libya simul et Asia maior fuisse, per quam ad alias proximas insulas patebat aditus, atque ex insulis ad omnem continentem et conspectu iacentem vero mari vicinam. Sed intra os ipsum portus angusto sinu fuisse traditur. Pelagus illud verum mare, terra


quoque illa vere erat continens. In hac Atlantide insula maxima et admirabilis potentia extitit regum, qui toti insulæ illi multisque aliis et maximæ terræ continentis parti, præterea et his quæ penes nos sunt, dominabantur. Si quidem tertiæ mundi parti, quæ Libya dicitur, usque ad Ægyptum imperaverunt, Europæ vero usque ad Tyrrenum mare. Horum vis omnis una collecta nostram o Solo vestramque regionem, et quicquid intra columnas Herculis continebatur, invasit. Tunc vestra civitatis virtus in omnes gentes enituit. Quæ cum omnes magnanimitate bellicisque artibus antecelleret, partim una aliis Græcis, partim sola ceteris deferentibus, extrema discrimina subiit hostesque expugnavit, amicis servata vel reddita libertate. Post hæc ingenti terræ motu iugique diei unius et noctis illuvione factum est, ut terra dehiscens vestros illos una omnes bellicosos homines absorberet, et Atlantis insula sub vasto gurgite mergeretur. Quam ob causam innavigabile pelagus illud propter absorptæ insulæ limum relictum fuit.»<sup>2</sup>

Platonica narratio iam antiquitus repetita est a per multis auctoribus, quorum longus index tædium afferret lectori benigno. Alii putaverunt esse mythum, alii veram historiam, alii sensum absconditum interpretati sunt, plura alii de hac re desideraverunt, alii excogitaverunt, multi sedem ita quæsiverunt, ut in omni fere terræ angulo inventa sit Atlantis.

Haud ergo mirum, si sæculo sexto decimo plerique auctores eam in novo mundo agnoverunt, id est in America. Franciscus López de Gómara, in Indiarum historia (*Historia general de las Indias*, 1554), explicuit terras nuper inventas cum Platonica narratione mirum quantum congruere, Atlantisque incolas veri similiter fuisse Aztecas. Michael tamen de Montaigne hanc coniecturam eo reiecit, quod America non est insula, sed terra continens.<sup>3</sup>

Qui omnia scripta de Atlantide sive poetice sive fabulose sive docte sive stulte sive philosophice sive phantastice exarata velit enumerare, vertigine corripetur. Mythus tamen Atlantidis nonne bonam occasionem præbet nonnulla opera memorandi paululumque legendi?

Franciscus Bacon (1561-1626), præter cursum honorum tempore regis Iacobi I Stuart actum, tam magna etiam opera divulgavit de augenda scientia, præsertim *Novum Organum* in quo regulas constituit rationis experimentalis, ut pater habeatur empirismi. Idem autem sub finem vitæ, cum apud aulam esset in offensa, se totum dedit studiis. *Nova Atlantis*, sola fabula ab eo conscripta, imperfecta mansit annoque 1627 post



auctoris obitum edita est tamquam appendix tractatus historiæ naturalis c.t. *Sylva Sylvarum*.

Certe vir talis, qualis fuit Franciscus Bacon, fabulam non excogitavit solius delectationis causa. Itaque in hac itineris narratione metaphoram percipere possumus, qua describitur progressus generis humani. Nam itinerari progredi est, et invenire, et nova cogitare, et discere. Sequamur ergo illos peregrinatores Europæos, in oceano ventorum libidine perditos; ad incognitam insulam fortuito appelluntur, cui præest grex doctorum:

«Navigabamus e Peruvia ubi per annum integrum commorati sumus. Petebamus autem Chinam et Iaponiam, commeatum in duodecim menses nobiscum portantes, atque per spatium quinque mensium et amplius, ventis secundis ab ortu flantibus, licet lenioribus et remissioribus, usi sumus. Tum vero vertit se ventus et ab occidente per multos dies constanter spiravit, adeo ut progredi lente admodum possemus, atque de reditu quandoque cogitarem. Sed tunc rursus orti sunt Austri fortes et vehementes cum inclinatione nonnulla in Orientem, qui nos (quantum fieri potuit) contra nitentes versus Septentrionem compulerunt. Quo tempore commeatus noster (etsi parce admodum eum distribuissimus) penitus absumptus. Itaque, cum nos ipsos in medio vastissimæ per universum orbem aquarum eremi positos videremus, absque commeatu, perditos nos plane putabamus, et mortem propinquam expectabamus. (...)

«Cursum tota illa nocte eo direximus, ubi terra se, ut coniciebamus, ostenderat, atque illucescente die postero manifestum fuit, id quod videramus, terram revera fuisse, depressam quidem et silvosam, quod eam magis obscuram monstraverat. Atque post sesquihoræ navigationem, portum tutum appulimus, portum urbis cuiusdam, non magnæ quidem, sed pulchre extractæ, et quæ, ex qua parte mare spectabat, elegantiam

magnam præ se tulit. Nos vero singula momenta tarda æstimantes, quibus a terra abessemus, ad litus properavimus et ad descensum in terram nos comparavimus. Confestim autem vidimus nonnullos ex populo urbis cum bacillis in manibus, qui nutu et signis nos in terram descendere prohibuerunt, absque tamen clamoribus aut ferocia. Unde haud parum contristati, quid faciendum esset apud nos deliberabamus. Interim perrexit versus nos scapha haud magna octo circiter viros vehens, quorum unus in manu gestabat baculum ex arundine lutea, ad utrumque finem cæruleo colore imbutum. Qui navem nostram fidenter conscendit. Cumque vidisset unum e nostris obviam illi prodeuntem, e sinu extraxit rotulum quendam pergamenæ (sed pergamena nostra paulo flavioris atque ad instar foliorum codicillorum splendentis, alias autem mollis satis et flexibilis) eique in manum dedit, qui primus e nostris se obtulerat. In quo rotulo, lingua Hebraica prisca, Græca quoque prisca, Latina satis pura, et Hispanica, scripta erant hæc verba: *In terram ne descendatis, nedum quispiam e vestris. Quin et discessum ab his oris maturate, intra sexdecim dies, nisi licentia Vobis diutius morandi concedatur. Interea, si aqua vobis opus sit dulcis, aut commeatu, aut medicina et curatione pro ægrotis, aut si navis vestra reparatione indigeat, singula, quibus caretis, in scriptis exhibete. Nos autem officii ullis misericordiae Vobis non deerimus.*

«Rotulus iste sigillo firmatus erat, ex alis Cherubim, minime expansis, sed deorsum pendentibus, et iuxta eas cruce. Hoc tradito, minister ille discessit et unum ex famulitio suo nobiscum reliquit, qui responsum nostrum reportaret. Cum iam apud nos de hac re deliberarem, timidi et anxii hærebamus. Arceri a descensu in terram et moneri de præpropero nostro discessu, male nos afflixerunt. Contra cum videremus populum illum linguas externas callere tantaque humanitate præditum esse, consolationi nobis erat non exiguæ. Ante omnia, signum Crucis instrumento appositum singulari gaudio nos affecit, tanquam salutis augurium manifestum. Responsum a nobis est lingua Hispanica. Navem nostram satis commode se habere, quandoquidem malacias et ventos contrarios potius experti essemus quam tempestates. Quantum ad ægrotos nostros, eos plurimos esse, quin et graviter laborantes, ita ut nisi descensus in terram illis permitteretur, de vita periclitarentur. (...)

«Tribus plus minus horis elapsis, postquam servus responsum nostrum accepit, lembo versus nos devecus est vir (ut videbatur) ex magistratibus. Indutus erat toga cum manicis amplis ex cameloto<sup>4</sup> coloris cærulei pulcherrimi, splendidioris multo quam nos in Europa habemus. Tunica interior viridis erat, et similiter galeus eius qui factus erat in figuram turbani,<sup>5</sup> eleganter compositi neque prægrandis, qualia solent esse Turcica. Atque capillorum suorum cincinni infra oram turbani dependebant. Vir sane aspectu venerabilis. Vectus est

in lembo aliqua ex parte inaurato, quattuor solummodo viris in eodem lembo comitatus. Alius autem a tergo sequebatur in quo erant viri circiter viginti.

Quamprimum intra spiculi iactum venisset, signis quibusdam e lembo moniti sumus, ut aliquos e nostris ad illum mitteremus. Id quod statim fecimus, in navis nostræ scapha virum ex nostris (uno excepto) primum mittentes et quattuor cum illo. Cumque circiter sex virgatas a lembo abessemus, iuebant ut nos sisteremus nec propius accederemus, quod et fecimus. Tum vero vir, quem modo descripsi, in pedes se erexit et alta voce Hispanice interrogavit: Num Christiani estis? Respondimus Christianos nos esse, minus metuentes quia signum Crucis in instrumento illo videramus. Ad quod responsum dexteram ille versus cælum sustulit et deinde leniter ad os suum adduxit, qui gestus in usu illis est cum deo gratias agunt. Tunc autem perrexit: Si iurabitis (unusquisque vestrum) per merita Servatoris piratas vos non esse, nec sanguinem humanum effudisse, sive iure, sive vi, intra spatium quadraginta dierum ultimo elapsarum, licentiam obtinebitis in terram descendendi. Respondimus paratos nos omnes esse ad illud iuramentum præstandum. Unde unus ex comitatu eius, qui videbatur notarius esse, illud in scriptum redegit. (...)

«Die proximo, horam circiter decimam matutinam, denuo nos invisit præpositus et post salutationes utrimque factas dixit familiariter se venisse ut nos visiteret et tempus nobiscum tereret. Tum cathedram poposcit et consedit. Nos autem, numero decem, nam ceteri aut inferiores erant aut foras abierant, circa eum sedimus, ac deinde ita exorsus est. Nos de insula hac Bensalem, ita enim eam vocant lingua sua, hoc habemus, quod ob situm insulæ nostræ solitarium et leges peregrinantibus e nobis impositas de terra hac celandam et raram exterorum admissionem in regionem nostram, nobis quidem maxima pars orbis habitabilis nota sit, ipsi vero aliis penitus simus incogniti. Itaque cum quæstiones illis aptiores sunt, qui minus norunt, consentaneum est magis ut vos me interrogetis, quam ut ego vos. (...)

«Tum unus e nostris, parva interposita mora, ita dixit: esse rem quandam cuius cognoscendi quidem avidi, interrogandi autem timidi essemus, ne forte nimio plus præsumpsisse videremur. Verumtamen singulari eius erga nos humanitate confirmatos – cum nos vix pro exteris ducamus, qui servi eius addictissimi et devotissimi sumus – eius proponendi libertate usuros, humillime obtestantes, ut si responsione vix dignaretur, quæstioni tamen ignosceret licet eam reiiceret. Dixit nos observasse satis et memoria adhuc tenere, verba illa ab ipso prolata, terram hanc felicem, in qua iam pedem figimus, paucis admodum cognitam esse atque nihilo secius plerasque orbis nationes satis nosse. Id quod verum esse plane perspiciebamus quandoquidem linguas Europæ callerent et res nostras in plurimis intelligerent, cum nos econtra in Europa, post tot et



tam remotas navigationes hac ætate postrema susceptas, nihil prorsus de hac insula inaudiverimus. Hoc mirari satis non posse, cum nationes omnes aut per peregrinationes in partes externas aut per adventus exterorum ad eas sibi invicem innotescant. Licet autem qui in natione externa peregrinatur plus notitiæ et informationis visu nanciscatur quam domi manens a peregrinante, auditu solo, addiscere possit. Attamen utroque modo notitiam mutuam aliqua ex parte haberi posse. Verum quantum ad hanc insulam, numquam nova ad nos allata de alicuius navis ab ea ad oras nostras impulsu, nedum ad litora Europæ neque ad litora Indiarum, occidentalis aut orientalis. Neque aliquid accepisse de navi ulla cuiuscumque ea populi sit quæ a terra hac redierit. In hoc autem, illud quod admirationem movet, non consistere, situm enim eius, ut Dominatio sua dixerat, in tam vasti pelagi conclavi secreto, huic rei in causa esse posse, verum, ut illi contra notitiam linguarum, librorum, rerum haberent, gentium ab iis tam immensis spatiis dissitarum, id omnem admirationem superare, neque nobis quomodo fieri hoc possit ullo modo in mentem venire. Nobis siquidem divinarum mentium et potestatum, non autem hominum quorumvis conditionem videri, ut ipsæ occultæ et invisibiles lateant, ceteris interim illarum visui parentibus et velut in aprico positis. Ad hæc verba præpositus placide subrisit et dixit non sine causa veniam nos huius quæstionis petere, siquidem innuere, ac si terram hanc non aliam quam terram magorum duceremus, quæ spiritus aëris in omnes partes emitteret, quorum ope et famulatio quæcumque in aliis regionibus gererentur pernosceret. Omnes uno ore humiliter respondimus, vultu tamen ita composito ut eum non alias quam ioco hoc dixisse præ nobis ferremus, nos sane facile in eam cogitationem venire, esse aliquid in hac natione plane supernaturale. Illud tamen potius angelicum quam magicum ducere. (...)

«Intelligetis igitur, id quod vobis fortasse vix credibile videbitur, ter mille circiter abhinc annis, aut paulo plus, navigationes orbis terrarum, præsertim in regiones remotas, maiores fuisse et magis strenue susceptas quam hodierno die. (...)

«Eodem præterea tempore et sæculo integro insequente, aut amplius, populi magnæ Atlantidis potentes admodum erant. Etsi enim narratio et descriptio a viro magno vestri orbis facta – scilicet progeniem Neptuni sedes suas ibi fixisse, tum de magnificis, templo, palatio, urbe et colle, quin et de multiplicibus pulchrorum et magnorum fluviorum spiribus quæ, tamquam totidem torques, templum illud et urbem cingebant, ac denique de gradibus illis insignibus ascensus per quos ad eadem perveniebatur veluti per scalam quandam cæli – sit fabulosa et poetica. Hoc tamen veritatis immiscetur, regionem illam Atlantidis, tam illam Peruvix tunc Coyam vocatam, quam illam alteram Regni Mexicani tunc dictam Tirambel, regna fuisse armis, classe et opibus, potentia et superba. (...)

«Verumtamen vindicta divina non multo post superbos illos ausus ulta est, siquidem intra curriculum centum annorum aut minus, Atlantis illa magna omnino perdita et destructa fuit, non terræ motu absorpta, ut vir ille vester affirmat (etenim tractus ille totus terræ motibus parum est obnoxius), sed per particulare diluvium sive inundationem. Quandoquidem etiam hodierno die regiones illæ maiores habeant amnes atque etiam montes altiores qui aquas in planities effundant, quam alia pars quæcumque orbis veteris. Sed illud verum, est inundationem illam non fuisse profundam, non amplius forsitan in pluribus locis quam ad quadraginta pedes, unde factum ut, licet homines et bestias undique demerserit, silvestres nihilominus habitatores quidam montium evaserint. Aves quoque in tuto fere fuerunt, ad montes aut arbores præaltas convolando. Homines vero, licet in aliquibus locis ædificia haberent altiora quam quo aquæ pervenire possent, inundatio tamen illa, licet minime profunda, diuturna fuit, unde qui in valle degebant propter penuriam cibi et rerum aliarum necessariorum fame et inopia perirent. Itaque, ne miremini, si America habitatorum tam rara sit neque si populus eiusdem adeo simplex et barbarus existat. Etenim rationem sic instituere debetis, populum Americanum novum esse et recentem, inquam, præ ceteris orbis habitatoribus, annis non minus mille. Tantum enim temporis intercesserat inter diluvium universale et illud Americæ particulare.»<sup>6</sup>

Sequitur descriptio utopicæ illius civitatis; sed hæc non iam ad Atlantidem nostram. Proxima occasione ad alium transibimus auctorem, eundemque virum sat mirabilem: Athanasium dico Kircherum. Interea bene valete!<sup>7</sup> ☞

(Continuabitur)

1. E Iulii Verne *Vingt mille lieues sous les mers*, in Latinum vertit Francisca Deraedt, in: *Navigare necesse est. Quattuordecim viatorix narrationes veste Latina indute. Miscellanea Gaio Licoppe dicata*, ed. F. Licoppe-Deraedt, Bruxellis, Melissa, 2006, p. 35-45.

2. Plato, *Timæus*, 20d sq.

3. M. de Montaigne, *Essais*, I, 31 «Des cannibales».

4. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, 1883, II, p. 45: camelotum, pannus ex camelorum pilis confectus.

5. Turbanum apud Cangium vocatur tulipantus: du Cange, *op. cit.*, VIII, p. 205: tulipantus, pileus Turcicus.

6. Fr. Baconis de Verulamio *Sylva Sylvarum sive Historia naturalis, et Nova Atlantis*, Amstelodami ex Officina Elseviriana, 1661. Textus etiam exhibetur (cum nævis non paucis) in 'Bibliotheca Augustana'.

7. De hac aliisque terris phantasticis magna delectatione leges opus Umberti Eco, *Histoire des lieux de légende*, Paris, Flammarion, 2013. Editio originalis: *Storia delle terre e dei luoghi leggendari*, Milano, Bompiani, 2013.

# DE COMPUTATIONE DIEI PASCHÆ IN ROMANA ECCLESIA

- scripsit Fr. Matthæus Landri -

## I - PROŒMIUM

Celebramus Pascham semel in anno, interdum mense Martio, interdum mense Aprili sed semper dominica cum feria secunda non laboremus. Quare interdum mense Martio et interdum mense Aprili?

Legimus in libro Numeri: *Locutus est Dominus ad Moysen in deserto Sinai anno secundo, postquam egressi sunt de terra Ægypti, mense primo dicens: «Faciunt filii Israel Pascha in tempore suo quarta decima die mensis huius ad vesperam iuxta omnia præcepta et iustificationes eius»*.<sup>1</sup>

Legimus autem in libro Genesis: *Dixit autem Deus: «Fiant luminaria in firmamento cæli, ut dividant diem ac noctem et sint in signa et tempora et dies et annos, ut luceant in firmamento cæli et illuminent terram»*.<sup>2</sup>

Festum Paschæ pendet a sole (semel in anno) et a luna (menses Hebræorum menses lunares sunt). Mensis lunaris incipit a nova luna. Dies quartus decimus mensis plena luna est. Primus mensis plenam lunam habet post veris æquinoctium (veris tempus est ubi natura florescit, volucres cantant etc.).

Ab initio fidei christianæ, Pascha celebrata est cum Pascha Iudæorum vel Dominica post Pascham Iudæorum. Utique, Pascha christiana a Pascha Iudæorum pendebat sed, cum sit tempus pænitentiae quadraginta dies ante Pascham, oportet scire diem Paschæ ante hoc tempus, ergo computare diem Paschæ.

Anno Dei 325, concilium Nicænum imposuit duas res:  
- non Iudæos esse sequendos in computatione mensis primi, sed Ecclesiam Alexandrinam;  
- Pascham esse una celebrandam.

Festum Paschæ christianum Dominica post plenam lunam (i.e. post quartum decimum diem) post veris æquinoctium (i.e. post vicesimum primum diem m. Martii) constitutum est.

Computatio Alexandrina manebat ab anno Dei 525 usque ad annum Dei 1582 cum correctum est calendarium a Papa Gregorio XIII. Ab anno Dei 1582 usque ad dies nostros, Ecclesia Romana computat diem Paschæ modo computationis Alexandrinæ cum correctione Gregorii.

## 2 - DE COMPUTATIONE ALEXANDRINA

Vocatur «[a] modulo [b]» reliquum divisionis integri [a] per [b]. Notatur (a o b).

Ad computandum diem paschæ, sufficit:

- Primo: invenire diem plenæ lunæ post diem vicesimum primum m. Martii (æquinoctium veris). Hic dies terminus paschalis vocatur.

- Secundo: invenire Dominicam post terminum paschalem exclusive (Pascha christianorum non celebranda cum pascha Iudæorum erit).

## 2.1 De termino paschali

Annus habet trecentos sexaginta quinque dies et fere sex horas. Quater autem sex horæ singulis quaternis annis diem constituunt. Hinc annus ille intercalaris, bissextus vel bissextilis dicitur.

Mensis lunaris habet interdum undetriginta dies, interdum triginta dies habet. Duodecim menses lunares habent trecentos quinquaginta quattuor dies. Si mensis Ianuarius anni A incipit cum initio mensis lunaris, mensis Ianuarius anni A + 1 non incipiet cum initio mensis lunaris sed undecimo die mensis lunaris.

### 2.1.1 De numero aureo

Unus annus solaris non habet numerum integrum mensium lunarium. Ad habendum integrum numerum mensium lunarium, necessarii sunt 19 anni solares.

Hic cyclus decennovennalis vocatur cyclus aurei numeri. Numerus aureus indicat ordinem anni in cyclo decennovennali.

Sic si mensis Ianuarius anni A incipit cum initio mensis lunaris, mensis Ianuarius anni A + 19 incipiet cum initio mensis lunaris.

Numerus aureus anni A est ordo anni in hoc cyclo. Numerus aureus inter unum et undeviginti potest esse.

Quomodo scire possumus numerum aureum alicuius anni?

Numerus aureus anni A est reliquum divisionis integri A + 1 per undeviginti.

Sic adde unam unitatem numero anni de quo quæris. Divide per undeviginti. Aureus numerus id erit quod superest, id est annus Dei plus unum modulo undeviginti. [(A.D. + 1) o 19]. Si nihil est reliquum, aureus numerus erit undeviginti.

Exemplum: Quæro aureum numerum anni Dei 326. Addo unam unitatem: 326 + 1 = 327. Divido per undeviginti: 327 / 19 = 17 \* 19 + 4.

Numerus aureus anni Dei 326 quattuor est.

### 2.1.2 De epacta

Epacta est numerus dierum quibus annus solaris superat annum lunarem. Quisque annus cycli aurei numeri habet singularem epactam.

Hæc est tabula epactarum respondentium aureis numeris ante calendarii correctionem:

Aurei num.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
Epactæ	viii	xix	*	xi	xxvii	iii	xiv	xxv	vi	xvii
Aurei num.		11	12	13	14	15	16	17	18	19
Epactæ		xxviii	ix	xx	i	xii	xxiii	iv	xv	xxvi

# ANIMI CVLTVRA

Epacta in calendario indicat diem novæ lunæ, id est initium mensis Iudæorum.

Ad inveniendam plenam lunam post vicesimum primum diem m. Martii, sufficit invenire novam lunam post diem octavum m. Martii inclusive cum auxilio epactæ, deinde addere quattuordecim dies huic diei inclusive.

Exemplum: Quæro epactam anni Dei 326. Annus Dei 326 habet numerum aureum 4. Video in tabula epactarum et numerorum aureorum et invenio epactam aurei numeri quattuor: undecim (xi). Quæro epactam undecim in calendario post diem octavum m. Martii inclusive et invenio diem vicesimum m. Martii. Addo quattuordecim dies inclusive et invenio terminum paschalem diem secundum m. Aprilis esse.

## 2.2 De littera dominicali

Annus habet duas et quinquaginta hebdomadas et unum diem (duos anno bissexto). Sic, si annus incipit Feria secunda, annus sequens incipiet Feria tertia (vel Feria quarta si annus bissextus est). Hic cyclus manet 28 annos. Littera dominicalis in calendario (vide § 4. Calendarium Sancti Wandregisili de Fontanella) indicat dominicas. Invenitur littera dominicalis inveniendò annum Dei modulo octo et viginti (A.D. o 28).

Hæc est tabula litterarum dominicalium ante calendarii correctionem :

A.D. o 28 Littera	1 b	2 A	3 g	4 f	5 d	6 c	7 b	8 A g	9 f	10 e	11 d	12 c b	13 A	14 g
A.D. o 28 Littera	15 f	16 e d	17 c	18 b	19 A	20 g f	21 e	22 d	23 c	24 b A	25 g	26 f	27 e	o d c

Si unus annus habet duas litteras, prima indicat dominicam ante diem undetricesimum Februarii et secunda indicat dominicam post diem undetricesimum Februarii. Ad inveniendum terminum paschalem, secunda littera debet eligi.

Exemplum: Quæro litteram dominicalem anni Dei 326. Trecenti viginti duo modulo duodetriginta sunt duodeviginti. Video in tabula litterarum dominicalium et invenio b ut litteram dominicalem. Prima littera b inventa post diem secundum Aprilis exclusive est die tertio Aprilis. Pascha anni Dei 326 erat die tertio m. Aprilis.

## 3 - DE CORRECTIONE GREGORIANA

Ut dictum est, annus habet trecentos sexaginta quinque et fere sex horas; intellegendum sex horas non esse integras. Hæc fere sex horæ sunt certe quinque, subdistinctio quinque et septuaginta (5,75) horæ. Hæc quartæ horæ partes cum fere mille quingentis annis ita creverunt, ut fiat differentia fere decem

dierum cum æquinotio!

Propterea Gregorius XIII delevit decem dies in anno Dei 1582, ut æquinotium veris esset dies 21 Martii. Papa autem indicat modum operandi, ne error iteretur: anni centenarii per quattuor dividui erunt bissexti, anni centenarii per quattuor non dividui non erunt bissexti. Id est, tres dies delentur quoque anno quadringentesimo.

Exempla: Annus Dei 1600 erat bissextus quia sedecim per quattuor dividuus est. Annus Dei 1900 non erat bissextus quia undeviginti per quattuor dividuus non est.

Hæc correctio mutavit tabulas referentiæ epactæ et litterarum dominicalium.

## 3.1 De correctione epactarum

### 3.1.1 Ab anno Dei 1582 usque ad annum Dei 1700 exclusive

Aurei num. Epactæ	1 i	2 xii	3 xxiii	4 iv	5 xv	6 xxvi	7 vii	8 xviii	9 xxix	10 x
Aurei num. Epactæ		11 xxi	12 ii	13 xiii	14 xxiv	15 v	16 xvi	17 xxvii	18 viii	19 xix

### 3.1.2 Ab anno Dei 1700 usque ad annum Dei 1900 exclusive

Aurei num. Epactæ	1 *	2 xi	3 xxii	4 iii	5 xiv	6 xxv	7 vi	8 xvii	9 xxviii	10 ix
Aurei num. Epactæ		11 xx	12 i	13 xii	14 xxiii	15 iv	16 xv	17 xxvi	18 vii	19 xviii

### 3.1.3 Ab anno Dei 1900 usque ad annum Dei 2200 exclusive

Aurei num. Epactæ	1 xxix	2 x	3 xxi	4 ii	5 xiii	6 xxiv	7 v	8 xvi	9 xxvii	10 viii
Aurei num. Epactæ		11 xix	12 *	13 xi	14 xxii	15 iii	16 xiv	17 xxv	18 vi	19 xvii

# ANIMI CVLTVRA

## 3.2 De correctione litterarum dominicalium

### 3.2.1 Ab anno Dei 1582 usque ad annum 1700 exclusive

A.D. o 28 Littera	1 e	2 d	3 c	4 b A	5 g	6 f	7 e	8 d c	9 b	10 A	11 g	12 f e	13 d	14 c
A.D. o 28 Littera	15 b	16 A g	17 f	18 e	19 d	20 c b	21 A	22 g	23 f	24 e d	25 c	26 b	27 A	o g f

### 3.2.2 Ab anno Dei 1700 usque ad annum Dei 1800 exclusive

A.D. o 28 Littera	1 f	2 e	3 d	4 c b	5 A	6 g	7 f	8 e d	9 c	10 b	11 A	12 g f	13 e	14 d
A.D. o 28 Littera	15 c	16 b A	17 g	18 f	19 e	20 d c	21 b	22 A	23 g	24 f e	25 d	26 c	27 b	o A g

### 3.2.3 Ab anno Dei 1800 usque ad annum Dei 1900 inclusive

A.D. o 28 Littera	1 g	2 f	3 e	4 d c	5 b	6 A	7 g	8 f e	9 d	10 c	11 b	12 A g	13 f	14 e
A.D. o 28 Littera	15 d	16 c b	17 A	18 g	19 f	20 e d	21 c	22 b	23 A	24 g f	25 e	26 d	27 c	o b A

### 3.2.4 Ab anno Dei 1901 usque ad annum Dei 2100 exclusive

A.D. o 28 Littera	1 A	2 g	3 f	4 e d	5 c	6 b	7 A	8 g f	9 e	10 d	11 c	12 b A	13 g	14 f
A.D. o 28 Littera	15 e	16 d c	17 b	18 A	19 g	20 f e	21 d	22 c	23 b	24 A g	25 f	26 e	27 d	o c b

## 4 - CALENDARIUM SANCTI WANDREGISILI DE FONTANELLA

Hic (p. 11) tantum indicantur dies utiles computationi Paschæ.

Martius	Cyclus epact.	Litteræ dom.	Dies	Festum
	xxiii	d	8	
	xxii	e	9	S. Franciscæ Romanæ, religiosæ
	xxi	f	10	
	xx	g	11	
	xix	A	12	
	xviii	b	13	
	xvii	c	14	
	xvi	d	15	
	xv	e	16	
	xiv	f	17	
	xiii	g	18	S. Cyrilli Hierosolymitani, episcopi et Ecclesiæ doctoris
	xii	A	19	S. Ioseph, sponsi B.M.V
	xi	b	20	
	x	c	21	Transitus S. Patris nostri Benedicti
	ix	d	22	
	viii	e	23	
	vii	f	24	
	vi	g	25	Annuntiationis Domini
	v	A	26	
	iv	b	27	
	iii	c	28	
	ii	d	29	
	i	e	30	
	*	f	31	
Aprilis	xxix	g	1	
	xxviii	A	2	
	xxvii	b	3	
	xxvi	c	4	S. Isidori, episcopi et Ecclesiæ doctoris
	xxv xxiv	d	5	
	xxiii	e	6	
	xxii	f	7	S. Ioannis Baptiste de la Salle, presbyteri
	xxi	g	8	
	xx	A	9	S. Hugonis, episcopi
	xix	b	10	
	xviii	c	11	
	xvii	d	12	
	xvi	e	13	
	xv	f	14	S. Lantberti, episcopi
	xiv	g	15	
	xiii	A	16	
	xii	b	17	
	xi	c	18	
	x	d	19	
	ix	e	20	
	viii	f	21	S. Anselmi, episcopi et Ecclesiæ doctoris
	vii	g	22	
	vi	A	23	S. Georgii, martyris
	v	b	24	
	iv	c	25	S. Marci, evangelistæ

#### 5 - CONCLUSIO

Cum correctione Gregoriana, cyclus Paschalis transit e cyclo 532 annorum ad seriem cyclorum qui inun-  
cabuntur in annos innumeris.

Verumtamen, modus operandi manet ad invenien-  
dam Pascham anni M:

1 - aurei numerus invenitur cum  $[(M + 1) \text{ o } 19]$ , id est  
reliquum divisionis  $(M + 1)$  per 19

2 - epacta invenitur aureo numero

3 - terminus paschalis invenitur addendo diei epactæ in

calendario quattuordecim dies

4 - littera dominicalis invenitur cum  $(M \text{ o } 28)$ , id est  
reliquum divisionis M per 28

5 - littera dominicalis post terminum paschalem exclu-  
sive dat diem paschæ! ☞☞

1. Nm 9, 1-3.

2. Gn 1, 14-15.

## DE FINE CERTITVDINVM

– scripsit Gaius Licoppe –

In *Melissæ* fasciculo præterito<sup>1</sup> nuntiavi me plura narraturum esse de «intricatione quantica», quam vocant physici.<sup>2</sup> Quæ est phænomenum mechanicæ quanticæ tam extraordinarium, ut etiam non paucis hodiernis physicis vix videatur credibile; intricatio enim est status quanticus duarum vel plurium rerum, quæ describi debent ut unum totum, sine ergo descriptionis differentia; in hoc toto, etiam si eius partes longe inter se distant, observantur correlationes (i.e. ligamina)<sup>3</sup> proprietatum physicarum.

Antequam de hac intricatione amplius loquamur, non inutile est monstrare quibus gradibus physica mutata sit a Newtono usque ad nostra tempora.

Sensus communis inclinatur ut putemus omne eventum habere causam, sed etiam ut credamus nobis esse facultatem eligendi inter complures actionis vias; determinismus vero repugnat libero arbitrio. Hoc problema, iam diu maximum in Europæo cultu, vocatur dilemma determinismi.

Tempus est præcipua humanæ vitæ dimensio; etiam in physica est maximi momenti; nam additio temporis ad schema physicæ mechanicæ a Galileo facta initium est scientiæ occidentalis. Hoc conceptum, cui Newtonus septimo decimo sæculo formam dedit mathematicam, mirum in modum fuit frugiferum; insuper christianis Deus habetur ut omnipotens conditor naturæ legum mathematice expressarum. Secundum has leges Leibnitz Dei potentiam definit hoc Vergilii citato: scit omnia «quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur» (*Georg.* IV, 393).

Hoc tamen modo non solvebatur problema sagittæ temporis. In æquationibus Newtonianis tempus est reversibile, cum e nostra cottidiana experientia manifesto non sit: in chemia enim, geologia, cosmologia, biologia vel scientiis humanis præteritum et futurum partes agunt differentes; sagitta temporis nobis est evidens. At quomodo sagitta temporis accipi potest in mundo, cui physica symmetriam temporalem tribuit? Hoc est paradoxum temporis, quod in physica exprimitur dilemmate determinismi.

Sæculo vicesimo nascitur physica quantica, quæ magis magisque secedit a physica Newtoniana.

Anno 1900 Maximilianus Planck, Germanus physicus, comperit radios luminis non esse continuos, sed constare e serie energiæ fasciculorum, ad quos designandos creat vocabulum «quantum».

Anno 1905 Albertus Einstein, Germanus physicus, symbolam divulgat, qua rem miram enuntiat: lux habet simul duas formas: est unda electromagnetica, id quod iam erat demonstratum, et simul fluxus corpusculorum, quæ a Maximiliano Planck appellata sunt «quanta».

Einstein tunc animadvertit formam corpuscularem radiorum electromagnetorum omnino non congruere cum classica theoria electromagnetica æquationibus a Maxwell mirabiliter constituta, cum ille radios solum habuerit ut continuos energiæ fluxus.

Plerique tamen physici nolunt æquationes Maxwellianas relinquere, quod phænomena optime describunt. Sed Einstein et deinde plures physici monstrant leges, quæ in orbe macroscopico valent, non valere in orbe microscopico, ubi theoria quantica maximum habet successus. Hæc theoria nunc agnoscitur ut unum e maximis inventis vicesimi sæculi.

Usque ad hunc scientiæ statum, tempus, quale adhibetur in æquationibus physicæ Newtonianæ, nullam sinit distinctionem inter præteritum et futurum: non exstat «sagitta temporis», id quod in physica exprimitur determinismo. Si omnia exacte possunt prævideri, necessario hominum quoque acta; quid tunc fit de libero arbitrio?

Iam Epicurus libertatem voluntatis humanæ servare volebat ac recentiores philosophi pro certo habent problema temporis non solvi posse modo a scientia allato.

Carolus Popper, Austro-Britannus philosophus, qui habetur ut maximus scientiarum philosophus vicesimi sæculi, in secundo volumine operis c.t. *Logic of Scientific discovery* (1959) scripsit hæc: «Determinismus habeo ut maximum obstaculum in via ad humanam creativitatem et responsalitem ducente.» Inde ab hoc tempore prævalet scepticismus: nescimus quid re vera significant physicæ notitiæ nostræ.

In posteriore dimidia parte vicesimi sæculi res funditus mutari incipiunt. Oritur et mirum in modum succedit physica statuum non æquilibrii in systematis instabilibus, consociata cum notione chai; inde cogimur temporis notionem, qualis iam a Galileo expressa est, recogitare.

Physica classica tantum incumberebat in problemata consulto simplicia facta et sola describebat systemata in æquilibrio. Omnibus autem patet differentia inter systema stabile et systema instabile. Sunt exempla simplicia: pendulum est in æquilibrio; si a positione æquilibrii leviter amovetur, redit ad positionem æquilibrii; hoc est systema stabile. Contra, si valemus graphidem in acumine ponere, non diu sic manebit; hoc est systema instabile; in huiusmodi systemate parva mutatio conditionum initialium magnos habet effectus; insuper multa sunt systemata instabilia, in quibus effectus amplificantur decursu temporis. Atmosphæra, ut exemplum afferam, est systema instabile, in quo observatur «effectus papilionis»: minima perturbatio aliquo loco magnos effectus habere potest in regione longin-

quissima, id quod hoc exemplo paululum exaggerato demonstratur: alarum papilionis plausus in Amazonia afficere potest tempestatem in Civitatibus Unitis Americae Septentrionalis.

Mechanica Newtoniana sive classica describit lineam trajectoriam; huiusmodi linea non exstat in physica quantica, in qua eius loco est «functio undæ» æquatione Schrödingeriana anno 1925 descripta; singulæ particulæ huiusmodi functionem habent, consociatam cum earum statu. Notandum est et lineam trajectoriam in physica classica et functionem undæ in physica quantica respicere determinismum.

In physica classica, cognitio tota affert certitudinem: si initiales condiciones dandur integræ, futurum certe prævideri potest et præteritum detegi. At statim ut instabilitas accipitur investiganda, naturæ leges novum sensum accipiunt: eæ enim iam non afferunt certitudines, sed solum possibilitates.

Iam anno 1927 Varnerius Heisenberg, Germanus physicus, physicæ quanticæ ædificandæ contribuit, cum «principium incertitudinis» (sive melius indeterminationis) divulgavit, quo monstratur situm et celeritatem alicuius particulæ non simul definiri posse; si, exempli gratia, celeritas exacte metitur, eodem tempore situs est incertus et vice versa. Ad summam in omni re quantica neque situs neque energia exacte definiri possunt.

Quod principium num rectum esset tunc valde dubitabat Einstein; putabat enim aliquid incerti non posse fundamentale physicæ principium esse; «Deus, aiebat, tesseris non ludit».

Descriptio unius lineæ trajectoriæ vel undæ functionis alicuius systematis sensu communi apparet idonea ad totum systema cognoscendum. Individuus ergo et statisticus describendi modus idem valent, sed comperitur hoc solum verum esse in systematis stabilibus; nam in systematis instabilibus non idem valent ac modus statisticus informationem supervacaneam affert, in qua iam non exstat symmetria temporis; præteritum et futurum easdem partes non agunt, sagitta temporis est necessaria.

Licet secum interrogare cur tantum tempus necessarium fuerit ad systemata instabilia in physicas descriptiones includenda cum temporis irreversibilitate et probabilitatibus. Ilya Prigogine<sup>4</sup> dicit causam præcipuam certe fuisse inclinationem ad servandum naturæ conspectum quasi divinum; exstitisse tamen etiam difficultatem in necessaria technica mathematica, quæ recenter tantum systematum instabilium problemata valuerit aggredi; addit se per totam vitam percepisse hostilitatem, quam apud physicos excitat tempus unius directionis vulgo sagitta temporis vocatum. Etiam hodie multi sunt physici, qui negent esse sagittam temporis in descriptione fundamentali naturæ. Ad eandem negationem firmandam Anglus physicus magnæ famæ, Stephanus Hawking, librum scripsit c.t. *A brief history of time* (1988).

Relinquimus nunc novam viam ad systemata instabilia spectantem, qua Ilya Prigogine ductus est ad «structuras dissipativas» (sic ab ipso vocatas) theoretice describendas; structuræ dissipativæ sunt instabiles; initium habent et aliquamdiu structuram bene ordinatam servant, energiam consumendo (vel dissipando). Omnia viventia, ut exemplum demus, sunt structuræ dissipativæ. Pro hoc maximo invento anno 1977 præmio Nobeliano chemiæ honestatus est.

Veniamus nunc ad physicæ quanticæ progressionem, quæ ad intricationem ducit.

Inter 1925 et 1927 complures physici operam dederunt ad ordinanda prima dispersaque physicæ quanticæ initia.

Ludovicus de Broglie, Francogallus princeps necnon mathematicus et physicus, demonstravit non solum photonum, ut iam monstraverat Albertus Einstein, sed etiam electronum cum unda consociari; pro quo invento anno 1929 honestatus est præmio Nobeliano physicæ. Eius thesi compertum est omnes particulas elementarias cum unda consociari.

Hervinus Schrödinger, Austrius physicus, anno 1925 suam æquationem in physica quantica divulgavit; hac autem æquatione describitur «functio undæ», ut dicunt physici, qua coniunguntur alicuius particulæ et unda et status. Pro qua re anno 1933 honestatus est Nobeliano præmio physicæ. Aliquam particulam simul esse et corpus et undam, mente non concipitur, sed tamen experimentis confirmatur.

Iam citatus est Varnerius Heisenberg, qui clarum «principium incertitudinis» (sive melius indeterminationis) anno 1927 divulgavit.

Anno 1935 Einstein, Podolsky et Rosen una theoretice enuntiaverunt possibilitatem particularum intricationis, i.e. duas vel plures particulas se gerere posse quasi essent totum; hoc tamen, quod «paradoxum È.P.R.» (ab eorum nominibus) vocatur, physici fieri posse credere nolebant.

Idem non sentiebat Hervinus Schrödinger, qui eodem anno in symbola c.t. «Die gegenwärtige Situation in der Quantenmechanik»<sup>5</sup> asseveravit intricationem non solum esse unum e physicæ quanticæ insignibus, sed eorum præcipuum; monstrabat etiam hoc principium non valere in rebus macroscopicis (vide p. 14 claram experientiam catti).

Nemine curante, causa sopita mansit usque annum 1964, quo Iohannes S. Bell, Septentrionalis Hiberniæ physicus, methodum experimentalem proposuit aptam ad intricationem demonstrandam. In *Melissæ* fasciculo 184 monstravi ludum, quo Bell theoriam illustrabat; tum tamen solum agebatur de ludo mentis. «Bell inæqualitates», ut aiunt physici, exprimunt impossibilitatem notæ finalis 3 superandæ, de qua actum est in ludo; «Bell inæqualitates» non respicere, idem est ac notam 3 superare.

Pæne viginti annos exspectandum fuit usque ad

verum experimentum, cum deessent idoneæ facultates technicæ. Experimenta ab anno 1980 incohata sunt in opticæ instituto Orsay ab Alano Aspect, Francogallo physico. Anno 1982, fonte satis uberi photonorum intricatorum utens, sine ullo dubio monstrare valuit «Bell inæqualitates» non respici photonis intricatis.

Sunt tamen physici, qui aliquid falsum in hoc experimento exquirere perrexerint, cum correlationem «non localem» accipere non possent. Nova ergo experimenta erant necessaria.

Anno 1997 Nicolaus Gisin, Helvetius physicus, Genavæ fecit mirum experimentum. Usus est systemate, quo gignuntur paria photonorum. Assentiente nationali societate telecommunicationum Swisscom, quæ reticulum fibrarum opticarum regit, ille physicus paria photonorum ita dividere valuit, ut una pars mitteretur in fibræ opticam, qua Genava cum vico *Bellevue* iungitur, et altera pars in fibræ opticam ad vicum *Bernex* ducentem; quamquam hi duo vici inter se amplius decem chiliometra distant, duæ photonorum partes se ostenderunt intricatæ i.e. ut totum.

Iterum experimenta facta sunt annis 2000 et 2001 aliis operandi modis, nec umquam «Bell inæqualitates» respectæ sunt. Possumus ergo anno 2015 pro certo habere eas photonis intricatis non respici; notionem «non localitatis» in physica quantica debemus accipere.

Verisimiliter, benevole lector, vix quicquam intellexisti de legibus physicæ quanticæ, sed noli angere: ipsum enim Ricardum Feynman, clarum Americanum physicum, physicæ quanticæ peritissimum, aliquando pænitet neminem theoriam quanticam intellegere.

Si theoria non intellegitur, tamen usu confirmatur. Theoria enim ab anno 1965 instrumenta LASERICA genuit, quibus «lux cohærens», quæ dicitur, adhibetur ad corpora dura celeriter secunda necnon, ab anno 1982, ad discos compactos legendos.

Intricatio nunc adhibetur in cryptographia, ubi veræ aleæ ope efficiuntur codices,<sup>6</sup> quorum secretum frangi non potest. Etiam experimenta «teleportationis» fiunt.

Ad concludendum dicemus multos physicos adhuc

determinismum relinquere non posse atque eum præter spem omnibus modis servare conari. Curnam? Physici Hiley et Bohm probabilem explicationem afferunt. Obiicere «non localitati», aiunt, videtur a præiudicio pendere, quod crevit una cum scientia moderna. Initio diu certandum fuit ut scientia liberaretur a superstitionibus primitivis et a magia, in quibus «non localitas» erat magni momenti. Fortasse inveteratus timor adhuc superest, ne cogitare tantum de «non localitate» portam aperiat, qua protegemur contra cogitationes non rationabiles sub cortice culturæ modernæ latitantes.

Portam tamen paululum aperuit vera alea; inestne ei aliquid divini? ☞

1. *Melissa* 184, p. 15-16.

2. «Intricatio», secundum vocabulum Francogallicum *intrication quantique* fictum, aptius linguæ Latinæ videtur, quam vocabulum Anglicum *quantum entanglement*. «Intricatus» adiectivum est huius neologismi.

3. *Corrélation* Fr. et *correlation* Angl. est vocabulum in physica adhibitum, ut in symbola monstrabitur; fieri non potest quin ad id Latine reddendum neologismo «correlatio» utamur.

4. Ilya Prigogine, Iudæus, Moscuae nascitur anno 1917. Facta rerum eversione in Russia eius familia migrat imprimis in Germaniam, postea, propter nazismum, in Belgicam, ubi Ilya in Universitate Libera Bruxellensi (ULB) primum iuri studet, postea biologiæ, biochemiæ, physicæ particularum elementarium; postea etiam incumbit in astrophysicam et cosmologiam. Factus est professor eiusdem universitatis et universitatis Texiæ in America septentrionali. Anno 1977 honestatus est præmio Nobeliano chemiæ propter inventum structurarum dissipatarum.


5. In: *Naturwissenschaften* (Organ der Gesellschaft Deutscher Naturforscher und Ärzte - Berlin, Springer) - Bd. 23, 1935.

6. Codex: hoc vocabulum præter sensum antiquum bene notum significationem accipit neotericam: *code* Francogallice et Anglice.

LIBRI ADHIBITI:

Nicolas Gisin, *L'impensable basard*, Paris, Odile Jacob, 2012.

Ilya Prigogine, *La fin des certitudes*, Paris, Odile Jacob, 1996.



*Ervinus Schrödinger a publico præcipue notus est propter fictam experientiam catti, quam anno 1935 divulgavit. Hac experientia illustratur absurditas physicæ quanticæ, cum eam adhibemus in mundo macroscopico. Physica quantica demonstratur atomum simul exstare posse in compluribus statibus superpositis. Si aliquo mechanismo (experientia Schrödingeriana e.g.) hanc atomi facultatem coniungere conamur cum rebus macroscopicis (ut catto) habemus exitum absurdum, ut cattum simul vivum et mortuum. (imago: Wikipedia)*



## FRANCISCVS RENATVS LOQVITVR

– scripsit Lucius Barbulesco –

*Franciscus Renatus de Chateaubriand scriptor Francogallicus erat, qui, rerum novarum tumultus et pericula vitans, vel potius respiciens, in tum recentis Americanæ Rei publicæ provinciis degit; postquam imperator Bonapars (vel, ut ipse eum appellabat: Buona parte) ordinem publicum pacemque restituit, in patriam rediit, non sine odio in tyrannidem. Ut rex tandem quem ille legitimum censebat restauratus est, ministri vices egit rerum externarum gerendarum. Post alteram rerum novarum epeisodum, privatam vitam sibi elegit ut potior et magis idoneam ad libros componendos, illum præcipue cui ‘Commentarii ultra tumulum scripti’ titulus est, cuius magna pars in villa silvis circumdata scripta est, ad Lutetiæ meridiem sita. Attamen non in illa rusticatione letum obiit, quippe qui Lutetiæ, tertiis rebus novis furentibus, banc terrestrem vitam deseruit.*

*Nos autem Circuli Lutetiensis sodales in illa Valle Luporum dicta villa sessionem ultimam anni scholastici habere constitueramus.*

**F**ranciscus Renatus – vel illius spectrum – loquitur. «En adveni tandem inter vos, inferos vel paulisper relinquens, quippe qui, dum etiam vivus eram, patriæ civibus pollicitus essem me continuo ultra sepulcri limen eos allocuturum.

Nolite credere nos, Averni incolas, nihil de vobis, qui sub sole degitis, curare; immo vero res gestas et mores hodiernos, quamvis a nostris condicionibus distent, benevolenter et placidis oculis conspicimus, etiamsi dolor et studia necnon et iræ a corde longe absint.

Etenim ego qui quondam scripsi me fortuna bona malave, nescio, inter duo sæcula vixisse atque sicut

hominem ad natandum sollertem confluentes æstus fortiter traiecisse, nunc postquam illum ineffabilem rivum transii, amplissimis otis utor mecum volutando meliusne fecerim si cum illa Indiana virgine, vel potius duabus illis sororibus, in Floridæ partibus ad ripas ingentis Mescasebœi fluminis reliquam vitam degissem, an tyrannum conciliare debuerim, atque si ei genu flexissem, mala hoc an bona parte mihi vertisset...

Quid autem hæc omnia ad meam umbram attinent, ubi nunc quocumque conspectus adiciam nihil nisi umbras video, nec facile inter eas discernas quisnam quæque dum vivebat fuerit, tyrannusne an miles an scriptor...

Dum vivebat, aio... Num autem tantum differt inferorum regio ab illa quam vos habitatis, homines corpore densiori præditi, ut inter nos alterutros mutua intellectio fieri non possit? Equidem non crediderim, præsertim cum animadverto illud in quadam subterranei traminis statione inscriptum: ‘Erepto Iovis fulmine per inferos vehitur Promethei genus.’ [hæc sententia a Fulgentio Benvenuto, subterranei Lutetiensis traminis inventore titulo operis scripta’st]

Ego certe nunquam Iovis fulmen eripui, qui potius Apollinis lyra et plectro usus ‘incantator’ vocari maluerim.

Hoc tantum me piget – siquis huiusmodi affectuum adhuc umbras movere potest: inter tot hodiernos iuvenes qui perinde ac Renatus illo sæculi morbo, vel tædio vitæ, laborant, tam paucos inveniri qui agnoscant meipsum hoc malum descripsisse, non tam componendi libelli causa quam quia revera hoc passus et expertus sim. Nunc autem procul a sæculo et vita et vitæ tædio liberatus sum.» ❧

## ELEGANTIA

– scripsit Vinfridus Czapiewski –

Femina nigrita in quendam parochiam Novi Eboraci admitti cupit. Parochus cunctatur valde. «Nescio, inquit, num bene nobiscum agere et consentire possis. Qua de causa suadeo, ut domum revertaris et precibus Dominum omnipotentem adeas et interrogas, quid agendum sit.»

Paucis diebus post femina iterum adest: «Secundum consilium tuum consultavi Omnipotentem hac de re. Is respondit: ‘Scito hanc rem propter elegantiam et superbiam huius parochiæ vere difficilem esse. Egometipse iam multis annis eo intrare sæpius conabar, sed adhuc non contigit.’» ❧

## LATINITAS GLOBALIS MEDICORVM

– scripsit Ylermi Luttinen –

Globalitas crescens et transitio liberior inter civitates medico novas provocationes fert ad epicrises et diagnoses scribendas. Hanc ob causam medico Latinitas melius quam antea scienda est. Libenter credimus lingua Anglica rem geri posse. Studia hodie plerumque Anglice facta sunt sicut publicationes et dissertationes.

Hodie ægroti toto ex mundo advenire possunt. Lingua Anglica revera non tam universa neque consueta est quam opinamur. Magnæ linguæ Asiaticæ clare vulgarissimæ sunt, et etiam in occidente ne lingua quidem Anglica clare prima est; lingua Hispanica pæne par est. Omnes collegæ Francogalli et Germani non linguam Anglicam sciunt, nedum collegæ in regionibus aliarum linguarum. Nostra interest diagnoses operasque factas recte intellegere et scribere, ut in omni occidente approbemur. Si ægrotans apud nos in operationem cholelithiaseos subito deportatus est, incertum est collegam in America Australi intellegere diagnosis «Gallstone», sed «Cholelithiasis» certe intellegit. Si ægrotans subiit operationem, «Gallstone operation» haud paucis collegis peregrinis notum sit, sed «Cholecystectomy» omnibus sane familiare sit.

Magni interest etiamnunc Latine scire. Cum transitione libera usus scientiæ Latinitatis potius augebitur quam minuetur. Nobis etiam diagnoses recte formandæ sunt, ut melius intellegamur. Pro dolor programma computatri haud probam diagnosis præbet, qua directo uti possimus. Diagnosis distorsionis digiti computatro data admodum exacta est: Distorsio/distensio digiti/digitorum manus/pedis cum/sine læsione unguis. Diagnosis talem ægroto dare non possumus collegis peregrinis præbendam. Si de distorsione articuli distalis pollicis sinistri agatur, elegantissimum sit verba ita convertere: Distorsio pollicis sinistri articuli interphalangealis distalis, quæ notabiliter ab diagnosi computatri differunt. Operationem quoque factam Latine scribere debeamus scire. Exempli causa suturatio vulneris phalangis proximalis pollicis illius: Sutura vulneris pollicis sinistri phalangis proximalis. Scriptio diagnosis operationisque Latine auxilium optimum est ægroto sicut collegæ curationem complementariam perficienti.

Hoc scriptum Finnice in *Actis medicorum Fintiæ* divulgabitur. ☺

## DE NOVIS LIBRIS

TITUS LIVIUS, *Ab Urbe condita XXI. Karthagon Hannibal lähtee sotaan*, editio et translatio facta ab Erkki Palmén (†), Maija-Leena Kallela, Ylermi Luttinen, Teivas Oksala, Helsinki, Basam Books, 2014, 200 p.

Hac pulchra editione Finnis linguam Latinam historiamque antiquam colentibus proponitur Titi Livii liber XXI, quo narratur initium secundi belli Punici. Post longam introductionem historicam, primum præbetur auctorum versio Finnica, dein ipsum Livii opus, postea nonnulli textus ad rem pertinentes, bibliographia, index historicus, index nominum; nec desunt imagines nec utiles mappæ geographicæ.

Patet ergo Latinitatis cultum, a Medio Ævo traditum, amicorum nostrorum beneficio feliciter continuari!





# *In hoc fasciculo !*

*Quid minimum sit discipulos docendum [G. Licoppe] p. 1*  
*Recens diploma honoris causa Lovaniense [Th. Sacré] p. 3*  
*Atlantis. 1 - A Platone ad Baconum [F. Deraedt] p. 4*  
*De computatione diei Paschæ in Romana Ecclesia [fr. M. Landri] p. 8*  
*De fine certitudinum [G. Licoppe] p. 12*  
*Franciscus Renatus loquitur [L. Barbulesco] p. 15*  
*Elegantia [V. Czapiewski] p. 15*  
*Latinitas globalis medicorum [Y. Luttinen] p. 16*  
*Bibliotheca Latina p. 16*

*Imago tegumentis: Jules Verne, Vingt mille lieues sous les mers, 1870.*

---

## *Latine loqui :*

Conventiculum Bostoniense - 25 m. Iulii - 2 m. Augusti a. 2015  
[www.conventiculum.org](http://www.conventiculum.org)

Conventiculum Dickinsoniense - In Pensilvania, 6-12 m. Iulii a. 2015  
[http://www.dickinson.edu/info/2003/classical\\_studies/61/teacher\\_workshops](http://www.dickinson.edu/info/2003/classical_studies/61/teacher_workshops)

Conventiculum Latinum - Lexingtoniæ, 22-29 m. Iulii a. 2015  
<http://mcl.as.uky.edu/conventiculum-latinum-lexingtoniense-2015-latine>

Feriæ Latinæ Ferigoletenses - 16-23 m. Iulii a. 2015  
[marie-antoinette.avich@orange.fr](mailto:marie-antoinette.avich@orange.fr)

Linguæ Latinæ institutio æstiva - Romæ apud Academiam Vivarium Novum  
<http://vivariumnovum.net>

Septimanæ Latinæ Europææ - Amœneburgi, 1-8 m. Aug. a. 2015  
Frisingæ, 23-29 m. Aug. a. 2015  
<http://www.septimanalatina.org>

Societatis Latinæ seminaria Latinitatis vivæ - In abbatia Ottiliensi, in Bavaria, 13-18 m. Iul. a. 2015  
In oppido Theulegio, in Saravia, 9-15 m. Aug. a. 2015  
[www.voxlatina.uni-saarland.de](http://www.voxlatina.uni-saarland.de)

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 20 eur. / 25 \$

BNP Paribas Fortis :

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

